

17c.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA
De
S P I R I T U,

Quam
AUXILIO ALTISSIMI,
ET
Consensu Amplissimae FACULTATIS PHILOS.
In Regia, qua Aboë floret, Academiâ,

P RÆS I D E

V I R O

PL. REVERENDO ET AMPLISSIMO

Dn. M. JOHANNE FLACHSENIO

Math. Prof. Celeberrimo, nec non Ecclesiæ, quæ
in Pittis Christo colligitur, Pastore Meritissimo, h. t. Phil.
Decano, Promotore, Præceptore ac Fautore pio
animi cultu & statem devenerando;

Pro honoribus Academicis rite consequendis,
Candidæ Eruditorum censuræ publicè ventilan-
dam submittit

ARVIDUS ALOPÆUS
Wib. Carelius.

In Aud. Max. ad diem 2. Decembr. 1682.

ABOË,

Excusa à JOHANNE L. WALLIO, Regiæ Univ.
ibid. Typogr.

У Т Р И Щ

АРХИЕПАСТЫРЬ

ДОБРЫЙ

СЛАВОСЛУГА ПАМЯТИ
СВЯТОГО АПОСТОЛА ПАВЛА
и святого апостола Павла
и святого апостола Павла

и святого апостола Павла
и святого апостола Павла

и святого апостола Павла

ДОБРЫЙ

и святого апостола Павла



THESIS I.

§. I.



On minus operæ pretium facturum
me existimo, quām consuetudini rece-
p̄tæ consulturum, si, antequam rem i-
psam aggrediar, in vocabuli indolem
paucis inquisivero. Sapientes enim ple-
riique omnes prudenti utique consilio,
præsertim svadente rei necessitate, circa cujusque argu-
menti expositionem, nominis rationem cum primis ha-
bendam esse monent, Idque successu felici pariter ac u-
tili, quippe quemadmodum, teste Galeno, perturbatus
ac confusus nominum usus, rerum quoque confundit
notitiam; ita eruta à natali sede proposito conveniens
significatio, ad materiæ illustrationem plurimum facit.
Licet verò ingeniis haud paucis tedium pariat prælusionia
illa vocum consideratio, ideoq; directo impetu in rem i-
psam involate ament, quod etiam à quibusdam argu-
mentis facilè veniam cum laude meretur: tamen, si causa
id non permitat, prævaricatio est; transire nimisrum di-
cenda, nec attingere ea, quæ sint includenda ac præmit-
tenda. Quocirca, cum auspiciaturis thematis alicujus
disquisitionem, plerumq; eruditorum auctoritas tractan-
di initium à nomine faciendum præscribat, eandem le-
gem hic noster spiritus jure quoq; necessitatis servandam
urget. Nam ut labore supervacuo, qui alias circa no-
minis evolutionem adhiberi consuevit, supersedeam (siquidem
consensu omnium à spirando dicitur, quæ appellatio
sumta à vento, cum quo spiritus quandam habere simili-
dinem videtur. Ventus enim adeò est tenuis & subtilis,

A

ut

ut nec visu nec tactu possit apprehendī , quod sit in sub-
stantiis quoq; spiritualibus. Et quia sensus prius cognoscuntur, quām spiritualia, hēc per illa aliquo modo in-
notescunt, hinc nominis petita videtur ratio ; Quod et-
iam Gr̄cum Πνεῦμα & apud H̄breos Ruzeh innuit) vix
aliud vocabulum ambiguis magis intricatum est significatiōnibus, quām nomen spiritus ; cujus accuratior expla-
nationis, nisi sit in principio, vagaretur mens in sequen-
tibus; nec facile pateret, quid sit illud, de quo agitur.

§. 2. Removenda igitur hinc imprimis ea spiritus ac-
ceptio, quæ in sacro codice est frequens, ubi vel de Deo
usurpatur nunc Essentialiter, nunc personaliter ; vel o-
perationibus Divinis tribuitur, notatque iram, poenam
& opera gratiæ divinæ : vel ad Angelos s̄epius, homines
& creaturas alias irrationalēs atque inanimatas trans-
fertur, quæ Theol. relinqenda. Deinde nec ad no-
strum institutum spectat spiritus Physicè acceptus, sive
respirationem, halitum, ventum, vel deuīque q̄vemunq;
corporum vigorem naturalem, vitalem ac animalem
exprimat, adeoq; porrò in hujus spiritus, q̄vem dici-
mus, consortium non sunt admittendæ animæ bruto-
rum. q̄nanquam verò disitendum non sit, has etiam
aliquo modo dici immaterialēs, q̄via non sunt ex ma-
teriâ & formâ compositæ, q̄vin & nonnulli rerum o-
mnium formas spiritus esse morticius contendunt ; ni-
hilominus tamen sana ratio hinc eas excludit. Diffe-
rent enim definitione à spiritu, & æqvivocè saltem non
aliter ac alia qvædam, nomen sortiuntur, q̄oniam ad
materiæ damnatae sunt contubernium in fieri, esse &
operari.

§. 3. Rejecimus significationes, qvæ hue non spectant,
accedendum tandem ad illum sensum, quem hic nomine
spiritus veniatur. Spiritus itaque propriè dicti, Deus
semp̄, Angeli & anima rationalis, utramque nobis hic
faciunt

faciunt paginam, quo sensu substantia immaterialis, spiritus, incorporeo idem denotat. Observandum autem, cum solus Deus dicitur spiritus, id propter excel- *Damas.*
lentiam fieri, quia ex sua natura talis est, Angeli vero
& anima rationalis per ejus indultum & gratiam. Praeterea in transcursu obiter attigisse juvabit, spiritum nobis in disquisitionem venire, non secundum ea, quae lum
men gratiae revelavit; sed in quantum beneficio cogni
tionis naturalis nobis innotescit. Haec paulo fusi
us, quam instituti ratio postulabat, brevius autem, si respi
cias ex quibus dubiis vox vindicanda erat, praemittere
placuit, nunc porro ad reliqua sensim delabimur. Sed
antequam ad interiora penetremus, Questio an sit ex
pendenda est, et si pulchre cognoverim, legem illam Rha
damantheam non esse, quam aliquando quis transire ne
queat, praesertim hic, ubi non tam queritur, an sint
spiritus? quam an lumine naturae evinci possit eos dari?
tamen consueto more, hic quoque nostrum studium pau
lulum occupabitur.

THESES. II.

Spiritualem existentiam probare rationibus Philosophi
cis, non usque adeo res est obscura & impossibilis, nisi
cui contigerit valde hebes ingenium & obtusum. indo
ctis & illiteratis id judicii non faciliter largimur, quippe qui
rationum pondera vix discernere queunt. Literis itaque
exultus, si serio contemplatus fuerit rerum ordinem,
haud aegre animadvertisse dari res materiales, compositas,
corruptibiles &c. Unde id in proclivi est, quod sint quo
que immaterialia, simplicia, incorruptibilia. idque inde
colligitur, quia simplicia sunt priora compositis: imma
terialia materialis &c. robur autem huic rationi accedit,
si conceperit id potiori jure concedendum, quod magis
esse videtur, quam id quod minus esse videtur. Ex depen
den-

dentiā corporum facile quoq; id concludi potest. Nam
subsistendum tandem in simplici, ne fiat processus in in-
finitum. Intellexus operationes etiam ostendunt spiritus
esse, quia corpori adscribi non possunt. alias rationes
silentio prætereo, quibus ulterius manifestum evaderet
spiritus existere. Proinde miramur festivum illud caput,
Cartesium, eò proiectum esse audaciz, vel, ut planius di-
cam, impietatis, ut cum ex tantâ rerum serie satis per-
spicerit esse spirituales substantias; ultro tñ. non modò
formas substancialis dari proorsus negaverit, cujus erro-
ris à plurium industria sèpius convictus est, sed & impie
in existentiam spirituum scripsérunt. Nam licet Dei ex-
istentiam hoc arguento probaverit: *Si certum est utiq;*
quicquam omnino existere, multò magis Deum, cum
& causas ac rationes sua existentiae in se contineat; at verò
hujus argumenti vim subvertit penitus, atq; nervum
succidit Cartesius ipse, eò nempe quod materiam inde-
pendentem statuit, & presumuit omnium rerum causas in
purè mechanicas posse resolvi, scilicet quasi mundus hic
corporeus possit generare seipsum. quo commento & in-
somnio, haud dubiè Cartesi animus in proclivitate ac
præcipitio Atheismi hæsit. Sed procedat, ostendat arti-
ficium suum Cartesius, & vel lapidis ad terram descentis
purè causas mechanicas proferat! quod quia, ut mihi explo-
ratissimum habeo, præstare non potest, nedum formationis
aut strukturæ animalis, in cuius fabricatione tantum artifi-
ciū deprehenditur, ut longè excedat captum hamanum: Sed
hæc præter spem per consequentiā quandam dicta sufficiant.

THES. III.

S. 1. Ne autem studium nostrum circa corticem diu-
tius hæreat, attenuiori animo nucleus scrutemur, atq;
sensim proprius ad inspicendam spiritus naturam enita-
mur. Itaq; firmandi gradus, investiganda via. Via autem est
Defi-

Definitio, quæ ad rei cognitionem semita est expeditissima. Ceterum quemadmodum in aliis, ita nec omnes convenientiunt intradendâ spiritus definitione. Quidam ita describit: Spiritus est substantia immaterialis, vitâ mouendiq; facultate intrinsecus prædita, hanc, quia non est adæquata spiritui nostro, etenim plura ambitu suo complectitur, non agnoscimus. Hæc verò, quæ modo sub jungitur, tanto est absolutior, quanto propius & exquisitus spiritus essentiam complectitur, naturamq; exponit. Sit itaq;:

§. 2. *Spiritus est substantia ratione essentia & existentiae immaterialis.* Totam naturam spiritus in genere exprimit succincta hæc brevisq; , & absq; omni strepitu fluens definitio, quæ, ne ob exilitatem suam ac brevitatem intellectum legentis fugiat, ut spiritus visum, paulò fuisse expendendi sunt termini, quo cuilibet facile pateat, quod hæc spiritus descriptio perspicuitate non cedat corporis, oppositæ speciei definitioni: & quod hinc non adeò obscurum sit, ejus propriam indolem notitiamque haurire. Igitur dispiciamus per utrumq; definiti conceptum, quas præcisas immeditasq; proprietates singuli contineant, unde distincta tandem definiti cognitio elucescat. Incipiamus igitur à vertice, qui est conceptus spiritus proximè communis, quo agnoscimus esse substantiam, atq; hinc intelligitur, quod per se subsistat, nec ullâ alia re, tanquam subiecto, cui inhæreat, vel cuius modus accidensve sit, ad subsistendum vel existendum indigeat. Cum verò substantia dicatur proximè communis conceptus, indigitatur dari simul magis universalem conceptum, nempe Ens; quod summus quasi gradus essentialis est Spiritus. Verum ejusmodi notionum satietas modo vitanda est. Itaq; stylum ad alia delabi permittam.

THES. IV.

S. 1. Atqui hic apprimè spiritus notio propria, quæ exactius ac pressius ejus naturam repræsentat, conspicienda venit, quod sit immaterialis, juxta quam immediate ipsi competit, ut sit ens non solum unum, sed nnum per se, & non per aliud; hoc est compositionis omnis expers, essentia simplicissima, inextensa &c. Estq; velut fons omnium reliquorum, quæ Spiritui intant, attributorum, inquisibus, quemadmodum fieri oportet in omni perfectâ & legitimâ generis distributione, oppositæ sunt speciei nempe corpori, cujus propria sunt materialitas, extensio, divisibilitas, plenè accurateq; contrariatur. Quod autem Spiritus sit immaterialis, id inde luculentum est, inquit Gielf. *Quia ejus essentia non est ipsa materia, ut pote hic actus est impurus, Spiritus est actus purus.* Ceterum enim est axioma: *Quicquid magis à materiâ abstrahit, eo est purius ac simplicius,* arg, hinc est quod spiritus sit per essentiam abstractus. Ut enim non est ipsa materia, ita nec ex materia & formâ est compositus, ut pote que compositione in solu naturis invenitur corporeis. Est igitur per essentiam Spiritus abstractus, quia in suâ essentiâ est simplex, est pura forma, actus purus. Quod vero, addit, nonnulli putant ad immateriale sufficere, ut ex nullam materiâ producatur, id adeò verum non est, quia molles illa, ex quâ mundus fuit factus, esset quoq; immaterialis, quia hec ex nihilo creata fuit. Quibus verbis hoc indigitare videtur, nempe quod Spiritus dicatur immaterialis, non ratione independentiæ à materiâ in fieri, sed in facto esse.

S. 2. Dum circa hujus termini considerationem commoramus, haud abs re fuerit ulterius agere, quo sensu hæ affectio, sicut & quædam aliae, dicatur negativa, quo importari videtur aliqua imperfectio; sed sciendum negationem esse in dupli differentiâ, quædam nega-

negationes privativè negant, & tollunt perfectionem aliquam de subjecto, ut cæcitas tollit perfectionem, nempe visum: aliae negationes negant & tollunt imperfectionem. Attributa Spiritus dicuntur negativa posteriori modo, quia non removent, sed designant perfectionem. Nomen est negativum, res est positiva, removetur enim imperfectio, & in re ipsâ ponitur perfectio, dicit Gielt. Porro autem ut proprius ad rem accedam, quoniam affectionum beneficio spirituum iudeoles emergit, paulò exquisitus de illis modo esset agendum, nisi brevitatis studium opportunè promissi me admoneret; interim tamen non possum quin compendio dispiciam quædam attributa, ne quæ supra dicta sunt, confundi videantur. Quandoquidem ex superioribus constat, quod Spiritus naturâ sit compositionis exp̄s, hoc est, simplicissima, & tamen cum affectionum cumulus ei tribuitur, qui perfectionem importat, haud obscurè compositio adstrui videtur, unde per consequens reali discrimine attributum ab essentiâ spiritus, tum à se invicem differre in con-spectu est, quod absolum. Verū hæ obscuritatis nebulae tantæ non sunt, ut genuinam Spiritus notionem penitus obruant: quin brevi disparebunt, si modò ad eruditorum ductum nonnulla adjecero. Nimirum affectiones à parte Spiritus si materialiter considerentur, sunt idem cum essentiâ, unde velut à fonte manare concipiuntur: sī vero in se & formaliter, ut loqui amant, nempe ut sunt affectiones & diversi conceptus, habent aliquid discrimen, tum inter subjectum, tum inter se invicem, ratione sc. ratiocinata, h. e. quia Spiritus essentiam uno conceptu intellectus comprehendetur nequit, ideo plures sunt conceptus inadæquati, qui totam ejus essentiam non exhauiunt. Quare pro diversitate perfectionum, quas spiritui reverâ inesse intellectus animadvertis, plura prædicata seu attributa eidem

eribuit, quæ à parte rei non faciunt discrimen seu compositionem, cum idem sint, licet ratione ratiocinata differant. Manet igitur Spiritus simplex, quamvis variis gaudet affectionibus, quarum divisiones in mediatas & immediatas, in affirmativas & negativas, hic recensere non tam proficuum, quam supervacaneum duco; siquidem systemata ipsa abundè easdem suppeditabunt.

S. 3. Postquam genuinam Spiritus ideam, tanquam per umbram obiter contemplati sumus, è re foret singulas quoq; proprietates ejus, unde cognitio illustrior elucesceret, aliquanto exquisitus ac penitus considerare: verum cum in tantâ festinatione, commodè id fieri non posse intelligam, ex industria futuris commendo studiis, præcipue quia mihi memoriam refricat, quod in limine pollicebat, me nempe tantum summa rerum securum. Interea sicco pede, ut ajunt, non præteribimus eā, quæ pertinax illa opinio, quā Spiritui extensio adstruitur, nobis discutienda oggerit. Quippe maximam difficultatem, si impensis rem consideraveris, circa hanc affectionem animis nostris suboriri existimo. Neq; enim sensuum iudicio quicquam in hoc negotio credendum: Solidis animi oculis, animi manibus, incorporeus Spiritus videndus, tangendus ac mensurandus, sed de his in momento sequenti.

TH. IV.

S. 1. Jam ad reliqua speciminiis nostri momenta manus & mens est aptanda. Leviora decurrimus, nunc porro non velificationibus præludendum, sed in ipsa acie standum, & totis viribus occurrentum adversis sententiis, quæ genuinam, & per tot secula approbatam Spiritus notionem eversum eunt, & nova quædam dogmata certiora, ut putant, literato orbi obtrudunt: quod veritatis, an noyitatis ostro percisi facere annitantur, non satis liquet. Sed producamus magnum illum Tycium,

in re consili pulchre pariter ac eruditè differentem;
Veram, inquit, invenire rationem est difficile. Plerumq; D^eff. 34
anim id evenit homini, ut qno facundiori sit ingenio, eo
minus valeat judicio. Et reliqua quidem artes, in y^e
circa que versantur singula, cum ipso progressu plura
semper inveniunt quotidie: Philosophia quo plus proficit;
et contraria magis ambiquis, abundat argumentis, non
aliter quam agricola, qui instrumenta habent plurima,
minus secundo mmen agro utuntur. Et civilia quidem
judicia sententia judicum ac corona, tum pigmenta o-
morum populq; dirigunt suffragia. Hic verò quis nobis
judec erit, quā tandem verum à falso distinguemus sen-
tentia? Ratione? at nullam invenies, cui non possit dari
contraria. Affectione? parum fidum narras judicem.
Multitudine? Plures bte indotti sunt. Opinione? De-
terioribus favet illa, hæc Tyrius. Ecce autem, vel in
hoc ipso, de quo egimus, Spiritus conceptu, quod sit
immaterialis, ideoq; quantitatis & extensionis omnis ex-
pers, novus quidam scriptor perswasissimum sibi habet
Spiritum quoq; gaudere extensione, quā absurdā opini-
one deterioribus haud dubiè rationibus se favere declarat,
quibus defendendis impense suum defert patrocinium. Sed
relinquat quælo ingenii tam perditè imaginandi morbo
laborantis fecutum. Nihil Spiritui cum extensione est com-
mune. Alius est spiritus aliis corporis comes, opositæ
sunt species, oppositas habebunt differentias. Corpus
quia materiæ constat, necessariò sequitur extensio & di-
visibilitas; Spiritus autem, cum sit immaterialis, non
potest non esse inextensus. Materiæ enim proles est quan-
titas atq; extensio, que Spiritus relipuit tanquam natu-
ræ sua contraria. Et quanquam hæc opinio protinus
errorem suum prodit: disquerendum tamen, quo mol-
mine tantam rem aggreditur, & quibus rationibustam
absurdam sententiam conetur stabilite.

Henri- §. 2. Principio, cum opinioni sue sternit viam, da-
cūs mo- mus eorum ingenia Henricus Morus, qui fatentur se
rus non posse in claram & planam exquisitam Spiritus notitiam
Canta-penetrare; sed instar rudiis plebecuale admirantur, a que
brigen pro re adeò desperatā habent ac conclamatā de felicitate
sis.

autem sui iudicij adeò sibi gratulatur, ut non dubitet
seriò pronunciate, sibi &c. perfectè undique perspectam,
penitusq; exploratam esse naturam Spiritus, ac speciem ce-
reis, quam nunc tereti formā in baculi longitudinem li-
get extendere, nunc in sphera figuram rursus conglobare.
Itaque ex oppositarum specierum, corporis videlicet ac
spiritus, definitione, eò quod se invicem opposita illu-
strent, tam præclaram cognitionem autumat se hauiisse,
supponendo extensionem utriq; speciei ex aquo conveni-
re. Id verò ut obtineat, statuit contra Philosophorum
præcepta extensionem esse affectionem Entis unitam, di-
citq;: quemadmodum corpus ex eo, quia ens est, exten-
sionem habet; ita quoq; Spiritus ex eo, quod est ens,
gaudet extensione. Sed ut hanc extensionem vindicet à
divisibilitate, & partium discerpibilitate, siquidem no-
nit omne extensum habere partes extra partes, ac proin-
de esse divisibile, varias querit latebras. Et primò qui-
dem discriben facit inter extensionem spiritualem, quaे
ipsi est, spissitudine essentiali; & extensionem Physicam,,
quaे materia comes est, spiritualis extensio, dicit, est per-
metrabilis, & tamen indivisibilis. Addit & illud, quod spi-
ritus in certe modum se possit in longitudinem diducere,
ac in globi formam contrahere, prout nunc minus nunc
majus spatium occupat. Plura, quibus spissitudinem i-
stam existere imaginatur, addere non vacat. Sed quo-
modo haec sibi constare possint, judicent eruditii.

§. 3. Verum enim verò principio statim dicendum, fal-
lere ac falli vehementer tales extensionis explicationem,
eò quod plurimas de se signat absurditates. Fundamen-
tum

rum itaq; primum meretur examinari, num id adeo firmum sit ac probabile. Sed confessim in conspectu est vi-
tium ejus primarium, unde reliqua fiunt absonta & na-
turæ spiritus incongrua. Nam quod extensionem cor-
poris ac substantiæ spirituali ex æquo convenire affirmat,
id contra omnium Metaphysicorum censuram dicit. Ete-
niam vix quisquam existet, qui extensionem ad affectio-
nes Entis unitas transtulit, quod præter omnem dubi-
tationem ita est verum, ut aliter qui sentiunt, næ illi in
lubrico positi graviter impingant. Et vero quis existi-
mabit extensionem spiritui competere, cum non admit-
tat quantitatem? Quod evidentius ut obtineamus, argu-
mentis demonstrandum erit. Itaq; sic procedemus: quod-
cunque est immateriale, caret quantitate, ratio hujus
propositionis est evidens, siquidem quantitas est materiæ
proprietas inseparabilis. Spiritus est immaterialis, de-
hujus certitudine non dubito, quia ipse quoq; Morus in
eo convenit, ergo Spiritus caret quantitate. Hinc porro
ita inferre licebit: si Spiritus destituitur quantitate, de-
stituitur etiam extensione, quoniam hæc indissolubili ne-
xu cohærent, sed prius facile conceditur ex conclusione
præcedenti, ergo consequens ruto removet Spiritus ex-
tensionem.

§. 4. At hic excipit Morus, Distinguendo inter exten-
sionem spiritualem, seu spissitudinem essentialem, & ex-
tensionem materialē; ac plane contrarias proprietates
utriq; extensioni tribuit. Materiæ extensio cum sit, ait,
impenetrabilis, divisibilis & cogitandi facultate carens;
opposita species, spissitudo nempe essentia, est pene-
trabilis, indivisibilis & cogitandi potentia prædicta. Sed
si paulo altius per otium licet hæc perpendere, nec fe-
licius ita succederet res, quin forte in confessu esset, quod
intolerabilior malo ipso ab eo adhibita sit medela. Equi-
dem non difficit spiritui intelligendi, volendi ac cogi-

tandi vim recte ab eo, quemadmodum oportet, assignari: verum cum modo *amplitudinem*, *magnitudinem*, *excentriam* & *spissitudinem* (his enim utitur vocibus) substantia immateriali annexat, quæ tamen sensus fugiunt, nec dividi possunt, videtur esse contradic̄io, ut dicitur soler, in adjecto, sive idem per igem tolli. Enimvero quicquid magnum, amplum, spissum sive extensum est, erit quoq; quantum, & per sequelam ineurret in sensu, atq; divisibilitati obnoxium foret. Hæc autem cum negat suæ extensioni competere, simul etiam tollit ac negat extensionem, hujus vero deductionis vis, ex superioribus liquido constat. Quicquid præterea dicat Morus, imaginationi, cui nimium indulget, imputandum, quippe ex conditione rerum materialium, Spiritu-alis quoq; essentia indolem conatur metiri, cæterum animum non induxi ad singula, qnæ oggerit, attendere, quia maturandum opusculum erat, proinde sufficiat præcipua attigisse.

s. 5. Quandoquidem longius in scribendo proveheremur, & ad interiora nostri Mori dogmata penetravimus, haud absurdus aut alienus à proposito nostro labor erit, si paucis inquisiveto, qvid Morus potissimum de animæ rationalis amplitudine senserit. Ut breviter mentem ejus exponam, autumat extensione quadam essentiali totum corpus occupare, eique esse commensuratum: addit in super contradictionem involvi, cum à plerisque Philosophis dicitur, quod sit tota in toto & tota in quilibet parte. Nam existimat illa ratione pluries animam seipſa simul maiorem ac minorem fieri, si est tota in toto corpore, & tamen est in minimâ quoque parte tota, Reliqua non attinet, quibus hæc impugnat, commemorare. Cum clarissimo Sperlingio imprimis dicendum arbitror: Mea non multum interef, sciam hanc, annesciam, quia magis subtili videtur questio, quam utilis. Deinde illud repetere juvabit, quod etiam superius innuimus: E corporum

porum conditione vili, Morus nobilissimam spirituum spacio-
mas naturam. Præterea auctoritate quoque magnorum
virorum firmo stabit talo, qvod sit tota in toto anima, &
tota in qualibet parte. Adamus Osiander rejicit erro-
neas sententias & hanc defendit, statuens anima sedem in
corde, è quo vitam communiceat ceteris partibus, spiritus
vitales dispenset, & in reliqua membra diffundat suum
imperium. Præterea diluit hanc difficultatem ipse
Sperlingius.

Hæc eruditorum examini eà, quā par est, modestiā
commendo, juxtaque id ingenuè fateor, me eò audacie
non processisse, ut tanti viri existimationi sustinuerim
quidquam detrahere, qvippè qui admirabili ingenii &
cumine Cartesii Metaph. vanitatem feliciter dedexit &
refutavit: Sed hoc egisse, ut conferendo ejus sententiam
cum aliorum scriptis, facilius in abstrusarum rerum co-
gnitionem penetrarem, simul & vires ingenii periclitarer.
De victoriâ non loqvor, sufficit candido conamine bono-
rum qvæssisse applausum. De cœtero, Lector Benevolo-
mendas ac defectus nimia festinationi equanimiter im-
putes.

Sic tandem portum tangit mea fessa carina.

Quod superest, oro liceat dare tua perundas

Vela tibi JESU, liceat columq; tenere!

Ad Eximum CANDIDATUM

DN. ARVIDUM ALOPÆUM, pro Gradu Magist.

De SPIRITU ingeniosè differente, hæc pauca L. Mq; dedit:

Dum de Spiritibus disceptæ mente sagaci

Spiritus ille Deus præmia grata dabit,

En tibi Parnassus laurum, tibi Pindus bonores

Explicat & calatæ aurea ferta gerit

Qren signare tuum, Musis plaudentibus, optane

Et caput eximiū dotibus arg; comam

Ut populus clamare sciat carmenq; sonare hoc;

Tantus bonos doctos ornet ubiq; viros!

JOH. FLACHSENIUS Math. P. Ord.

Peregrinie Dr. ALOPÆE, amice honorande.

Est sanè illa de spirituum divinitate èo præstantior meditatio, quo
amplitudo argumenti ubiq; splendescit. Æternus spiritus globa-
vit terram, interjecit aquas, extendebat æra, cœlumq; lucido astro-
rum amictu exornavit; Idem Deus primo homini impressit subtilissi-
mam auram, & cum ea tot privilegia, tot sana consilia, tantam perfe-
ctionem, quanta esse potest, cum est maxima. Sequitur fidei vapor, per
quem vivere, per quem operari, per quem mori placet, ut triumphemus
in secula. At amor rerū, quo magnete, suprema cum mediis, hac cum
infimis, singula cum omnibus, sovet & connectit? donec exploio ma-
gno mortalis ævi anno, apparebit sanctissimus magnes, sive æternus
Phœnix annum sine annis instaurans. Relinquo globorum atmos-
pheras, plantarum vim, gemmarum arcana suffumigia, elemento-
rum conjugia, animalium antipathicas & sympathicas leges, quæ ut
in tempore pangunt sua molimina, ita successive paulatim percunt.
Tu amice vetus, qui nihil ineptè molitus es unquam, de argumendo
egregio, nobili industria, disputas cordate. Scilicet ita te pruden-
tia formavit, ita excoluit industria, ita perfecerunt gratia, ut remo-
tus à vitiis adulantium, ab invidiæ peste, à pravis affectibus, charus
& sincerus habeatis ab omnibus. Grande profectio solatum, virtu-
tum, scientiarum, optimæ conscientiæ clypeo circumseptus incedere.
Cum pessima excoigitat consilia invidia & malitia, cum infamam,
vitam & existimationem baccharum rabiosa venitas, quam pium
est tunc, firma in Deum spesecum latissimo animo cantillare.

Spirent astra minæ, eructet terra cruentum,

Aut sciat, divas pestes disseminet orcas;

Non penetrant pannos, quos incole, cunctæ nocendi

Ingenia; in flammis mediis suavissima pannos

Guttula, Christe tuos, calo irrorante tueris.

Hic est ille ex æternitatis sinu profiens spiritus, qui nos portat, gi-
gnit, ducit per ærumnas, per contumeliam, per blasphemias voces
ad æterna gaudia. Hic diffat mala, surrescere jubet meadaciam,
& crescere cum fide veritatem. Vale.

Adposuit

DAN: ACHRELIUS.